Klussmann

Mantissa quaestionum in Arnobio criticarum

Zu den

öffentlichen Prüfungen

sämmtlicher Classen

des Fürstlichen Gymnasiums und der Realschule

am 24., 25. und 26. März

sowie zu der

Redefeierlichkeit

Sonnabend am 28. März

früh 10 Uhr

ladet ganz ergeben ein

Oberschulrath **Dr. K. W. Müller,**
Professor und Director des Gymnasiums.

Inhalt:

1) Mantissa quaestionum in Arnobio criticarum vom Herrn Professor Dr. Klußmann.
2) **Jahresbericht** vom Director.

Rudolstadt, 1863.
Druck der Fürstl. priv. Hofbuchdruckerei.

Cum sub feriarum auctumnalium tempus materiam in hoc libello tractandam circumspicerem, observationes criticas, quas in Petroni Arbitri satiras scripseram, exhibere placuit. Iamque operi me adcinxeram, cum praestantissima illius libri editio a Fr. Buechelero parata eodem quo eam editum iri O. Iahni humanissima benevolentia me certiorem fecerat tempore ad me adlata est. Qua perlustrata cum non pauca quae adnotaveram ab homine doctissimo occupata, multa quae Burmanni opibus fretus emendasse mihi visus fueram inani fundamento superstructa vidissem neque tamen mihi relicta esse quanta ad rem agendam sufficerent, Petroniana mea recensenda seponere aliamque de qua disputarem materiam promere constitui.

Habebam autem de Arnobi adversus gentes libris, quae ad emendandum hunc scriptorem haud inutilia mihi quidem esse viderentur. Cui cum nuper contigisset, ut intra paucorum annorum spatium bis ederetur, tamen ut multum inde profecerit est sane quod verearis. Cuius rei duae potissimum sunt causae, quarum altera in diiudicanda codicis Parisini natura, altera in scribendi usu Arnobiano non ea qua par erat diligentia et adcuratione explorato est posita. Quippe ille codex scriptoris verba exhibet tam misere depravata, ut haud sciam an nulla nullius antiqui scriptoris manus aeque vitiata ad nos pervenisse sit dicenda. Quem codicem cum Hildebrandus denuo tandem excussisset, quam negligenter superiores editores eo usi essent apparuit quidem; sed postquam copiae Crusianae, quae in bibliotheca Sancti Michaelis Luneburgensi adservantur, per Oehlerum publici iuris factae sunt, ipsa Hildebrandi fides labefactari coepta est, ut iam liber Parisinus, ne diutius de uno illo Arnobianorum librorum fonte passim dubitetur, iterum sit recognoscendus. Praeterea, ut res est, in errorum qui plurimi in hoc codice conspiciuntur originem inquirendum erat, ut, quoad eius fieri posset, codicis archetypi scriptura quae fuisset ex apographo Parisino erueretur, qua re cognita sperare liceret fore ut ex corruptis libri Parisini verbis genuina passim restitueretur scriptoris manus. In quam rem cum Hildebrandus inquirere coepisset unumque glossematum in codice conspicuorum genus feliciter detexisset, Oehlerus hanc quidem criticae artis partem ne attingere quidem satius habuit. Unde factum est ut, cum ad corruptos locos emendandos omnem, quemadmodum dicere solent, hi viri lapidem moverent, certa ratione destituti non raro temere periclitarentur vulnusque altero vulnere inflicto expellerent. Quamquam etiam ipsa scribendi ratio Arnobiana non diligenter explorata fecit ut, quasi hi quidem scriptores, Afros dico, a communi usu longe recederent et verborum constructionumque illiterata

quadam insolentia gauderent, novissimi editores hunc Arnobium inusitatis et inauditis vocabulorum formis notionibus structuris ornarentne dicam an onerarent, qua benefica sane et prolixa largitione etiam alii viri docti ita sunt usi, ut lexica vel novissima nescio quot ἅπαξ λεγομένοις pseudoarnobianis ditata invenias.

Quae cum ita essent, et codicis archetypi quae scribendi ratio fuisset et librarii Parisini qui essent in scribendo errores, diligenter cognoscere constitui, in qua re ne nebulam, ut dicunt, pro Iunone amplecterer sedulo cavendum fuit. Erant enim ii tantum loci in disceptationem vocandi, in quibus de cod. Par. lectionibus non dubitatur. Quod quidem in altera huius commentationis parte, quae prior est, uno loco cavere non licuit. Quippe cum de usu particulae magis disputarem, non libera erat locorum de quibus ageretur optio. Utramque autem commentationis partem quasi exemplum esse volui quo doceretur, qua tandem ratione Arnobio a librariorum sive negligentia sive inscitia laboranti subveniendum esse mihi quidem persuasissem. Superest ut viros doctos, si qui erunt qui hunc libellum perlustrare non dedignentur, enixe rogem, ut hocce quaestionum Arnobianarum specimen aequi bonique consulant.

I. 2.*) Efficietur enim profecto rationum consequentium copulatu, ut non impii nos magis sed illi ipsi reperiantur criminis istius rei, qui se numinum profitentur esse cultores atque inveteratis religionibus deditos.

Hoc loco qui primus interpretum socordiam notavit in verborum magis sed positione inusitata incuriosorum, Hildebrandum dico, in plane similem vereor ne abripi se passus sit incuriam. Namque cum recte vidisset id agere Arnobium, ut omnem criminis suspicionem a Christianis averteret, confusis dicendi formulis non magis — quam et non magis — sed, quorum illa quam habeat vim post Handium (Tursell. III. 566—568) et Muetzellium (ad Curt. III. 5. 14. pag. 32) iam non dubitatur, haec quid sibi velit tantum abest ut possit explicari ut latinam esse negandum sit, in devia omnia aberravit. Quod autem istam formulam latinam esse nego atque pernego, ita velim intelligas: redeundum haud dubie est ad formam non — sed, qua in locum negatae alterius sententiae altera succedere iubetur, ut non magis — sed, nisi elliptice sit dictum pro non magis — sed magis, qua dicendi forma maior illa vis et potestas in altera sententiae parte negetur, alteri tribuatur, ipsam autem rem alterutri adesse affirmetur, ab omni ratione, ergo a latina lingua sit alienum. Atqui ne haec quidem ellipsis hoc loco statuatur licet. Etenim Arnobius nullam in Christianis esse culpam persuasurus est. Quae cum ita sint, recte fecisse videntur, qui ut non impii nos, magis sed illi ipsi repe-

*) Numeri editionis sunt Oehlerianae.

riantur criminis istius rei orationem distinxerunt. Quamquam altius in rem inquirendum est.

Particula magis ter et vicies in libris Arnobianis legitur, atque primum quidem ita, ut adiectivo addatur ei, quod ad comparativum designandum formae mutationem non admittit. Cuiusmodi sunt loci I. 56: magis vos incredulos faceret vis tanta virtutum et V. 30: nullos quam vos magis huiusmodi par est appellationibus nuncupari. Proxime accedit locus VII. 14: augustiores, potentiores mactatis pecudibus fiunt? additur ex hoc quicquam aut esse dii magis (i. e. magis dii ex usu Arnobiano, de quo conferendus est Hildebrandus ad II. 29 pag. 167) divinitate occipiunt (ex coniectura Hildebrandi, cod. concipiunt) ampliata? qui locus geminus est Ciceroniano pro Planc. 24. 60, quem Handio (l. l. pag. 557) debeo: magis aedilis fieri non potuisset.

Nullus praeter hos est locus Arnobianus, quo vocula illa cum nominibus coniungatur. Jam altera ratio ea est qua adverbio praedicativo additur idque modo illis plane contrario. Est enim VII. 5: consectaneum est... nullum affectum magis esse ab his (diis) longe quam etc. Saepius cum verbis coniungitur, ut VI. 26: tanto se magis maleficia congeminata multiplicant, quanto legibus iudiciisque contenditur imminuere facta crudelia et poenarum coercitione sedare; II. 5: augetur res magis (cf. Hand. Tursell. III. 561); IV. 10: curam magis deorum diligentiamque desiderant; II. 42: ergone...deus est ille Christus? Deus, respondebimus, et interiorum potentiarum deus et, quod magis infidos acerbissimis doloribus torqueat, rei maximae causa a summo rege ad nos missus; VII. 21: ego autem desidero aut coelo aliquid lapsum aut, quod magis res poscit, quid applicitum Juppiter ad tauri habeat sanguinem (cf. Hand. Turs. III. 556); II. 3: magis an sint dii ceteri dubitabit quam in deo cunctabitur; II. 11: magis nos valemus ostendere, quid in Christo fuerimus secuti quam in philosophis quid vos et paullo post: vos in philosophis virtutes secuti quas estis, ut magis vos illis quam nos Christo oportuerit credere? Tribus locis posterioribus particula magis proxime abest a voculae potius notione, de qua re vide quid docuerit Heerwagen ad Livium XXI. 5. 3. Eodem pertinent II. 3: nisi forte dubitatis an sit iste de quo loquimur imperator et magis esse Apollinem creditis, Dianam, Mercurium, Martem; II. 51: uter magis videtur irrisione esse dignissimus, de quo loco conferendus est Peter in historia critica scriptorum historiae augustae pag. 37; VII. 43: magis illa crudelitas quam beneficium salutis fuit.

Uno loco, V. 15, non magis — quam legitur: hodie manifestare propositum est, numina ista . . . non magis a nobis quam a vobis accipere offensionum furialium causas.

Sciens et consulto sex locos praetermisi qui aut interprete egeant aut medico.

Quorum quidem duo ad id dicendi genus pertinent, de quo satis erit relegasse ad C. Halmi comment. ad Cicer. or. pro Sestio 45. 97 pag. 237 ipsumque Arnobium II. 23. Quemadmodum enim dictio illa est ut aliquid re vera esse significat, ita magis est ut aliquid verius esse vel potius valere denotat (cf. Hand. Tursell. III. 564). Jam Arnobius II. 28. Platonicum illud perstringit placitum, quo animos humanos, quam primum corporibus iuncti in hanc vitam delegentur, rerum pristinarum memoriam amittere censet. Qui locus tam perverso hucusque iudicio a viris doctis tractatus est, ut universum hic exhibere atque, quoad eius fieri poterit, emendare ad pristinumque nitorem restituere iuvet: ac ne tamen instructi non plenius abeamus, ne videamus a vobis. Quemadmodum dicitis animas, cum terrenis fuerint corporibus involutae, priorum reminiscentiam non habere, cum in ipsis corporibus positae et prope insensibiles eorum commixtione perfectae pertinaciter et fideliter (cod. fideli) teneant ea, quae ante annos plures, si velis dicere octoginta vel hoc amplius, vel fecerunt vel passae sunt vel loquutae sunt vel audierunt? Si enim obstaculo perficitur corporis, ne meminerint eorum, quae iam dudum et ante hominem sciebant, **magis est ut** debeant ea oblivisci, quae conclusae in corporibus factitarunt, quam quae foris positae, nondum hominibus coniugatae. Restitui in priori sententia lectionem codicum, quam non intellectam perperam continuatis sententiis quibus hallucinationibus loco cedere coegerint interpretes ad unum omnes taedet hoc loco referre. Est enim ne illud (ne videamus) affirmativa illa particula, quam olim nae scribere male solebant, de qua docte disseruerunt Handius in Tursellino IV. 22 sqq. Fleckeisenius et G. Hermannus in Philologo Schneidewiniano II. 61 sqq. et III. 460 sqq. Quamquam qui audiamus substituere maluerunt, habebunt quibus sese ab ipso usu Arnobiano tueantur hoc locos: III. 4. bis, quorum locorum alter ab ipsa sententiarum conformatione huic plane similis est, V. 14, VI. 15, VII. 17 alios. Cur autem alteram sententiam interrogativam esse et per se stare voluerim, causam habet in particulae quemadmodum usu Arnobiano positam: quae aut interrogativa aut relativa est ita, ut bis tantum conjunctioni ita respondeat (I. 42 & 61), nunquam autem exemplis afferendis, qui posteriorum quidem scriptorum usus est, inserviat. Ne tamen reticere videar, quae contra me facere possint, ipsum illud ne affirmativum nisi hoc loco apud Arnobium non invenitur.

Alter locus huic plane geminus est vel ab ipsa criticorum caecitate. Est autem II. 7: ipse denique animus, qui immortalis a vobis et deus esse narratur, cur in aegris aeger sit, in infantibus stolidus, in senectute defessus, delira et futura et insana? Quorum infirmitas et inscientia miserabilis (cod. Br. mirabilis) hoc **magis est ut** (cod. Br. et) cum fieri possit ut veri aliquid aliquando dicamus et hoc ipsum nobis incertum sit an veri aliquid dixerimus. Ita quidem

codices. Ridet autem hoc loco Arnobius adversariorum stultam et fastuosam insolentiam, qua sibi soli sapere videantur. Permultas enim in rerum natura esse easque, ut cum ipso Arnobio loquar, in medio positas atque in sensibus constitutas communibus res, quarum causas illi perspicere nequeant. In quo numero esse animos cum corporibus laborantes crescentes decrescentes. Illa enim in aegris aeger et quae sequuntur, quo spectent ex Lucretio apparet quem more suo Arnobius exscripsit (III. 446—469):

> quin etiam morbis in corporis avius errat
> saepe animus: dementit enim deliraque fatur (vv. 463 & 464).

Ex quo loco Lucretiano hunc Arnobianum esse emendandum sibi persuasit Hildebrandus, ex alio, qui est III. 449—450:

> post ubi iam validis quassatum est viribus aevi
> corpus et obtusis ceciderunt viribus artus,
> claudicat ingenium, delirat lingua .... mens

Meursius. At cum ita fere imitatorum pecus rem suam agere soleat, ut ubi aliorum vestigiis insistunt, ipsum incessum callida arte celent multumque verbis ab iis discedant, quibus res ipsas debent (cf. Hand Praef. ad Statii Silvas pag. XV.), quidni ex utroque? Quae cum ita sint, in priori sententia Oehleri amplector conjecturam, una tamen vocula addita: delira [ut] effutiat et insana. De particula ut postposita conferendus Hildebrandus ad II. 23, pag. 156. Quamquam in altera enunciatione gravissimum ulcus relictum est, quod sanequam mirum est quam non odorati sint tot interpretes. At bona verba. Etenim cum sicco pede transeant reliqui viri docti, Oehlerus sarta tecta clamat: scilicet „particula ut hoc loco pro quippe vel utpote posita est.“ Quo haud scio an nihil potuerit excogitari perversius. Nam ut taceam de ratione grammatica, quam misere iugulat, quid hoc tandem est, eo miserabiliorem dici aegrorum infantium senum infirmitatem et inscientiam, quod, si quando nos homines sani adulti vegeti aliquid veri dicamus, propter ipsam illam infirmitatem de ipsa veritate dubitandum sit? Tum quis praeter Oehlerum unquam audivit de coniungendis res miserabilis hoc magis est ut, qua particula causa miseriae afferatur? Sed ipse viderit. Grammaticae arti haud dubie melius et circumspectius consuluerunt, qui quod cum nescio unde substituerunt; quamquam quo coniunctivum incertum sit tueri voluerint dubius haereo, id quod etiam de cod. Br. lectione et valet. Hildebrandi autem quam sit perversum de hoc loco iudicium, ex eius adnotatis ad II. 29, pag. 167 apparebit. Ergo universus locus, qualem quidem et codices et editores exhibent, sensu caret. Accedit, quod ne illa quidem quorum infirmitas et inscientia miserabilis est*) habent quo referantur. Namque nec omnes

*) Falsa utique cod. Br. lectio mirabilis est, qua voce nisi ironica notione Arnobius nusquam utatur; utitur autem paucissimis his locis: V. 2 et V. 8: velut quiddam mirabile; VII. 25: o deorum magnitudo mirabilis.

aegri aut senes et infirmi sunt et inscii, et quominus ad solos senes vel potius ad senectutem referas id impedit, quod eiusmodi ad sensum constructio Arnobiana utique non est. Plane enim aliena ab hoc loco sunt quae Hildebrandus ad I. 6 pag. 15 et ad II. 62 pag. 223 adnotavit. Quae cum ita sint, ad solos infantes haec quidem sententia pertinet, a quibus cum tam longe absit ut inepto loco irrepsisse dici forsitan possit, tamen ipsius loci concinnitas ibi eam reponi vetat. Quid? miserabilem adgnosco glossam, quibus libri Arnobiani mirum quantum scatent. Qua eiecta ita locum restituo: Ipse denique animus, qui immortalis a vobis et deus esse narratur, cur in aegris aeger sit, in infantibus stolidus, in senectute defessus, delira [ut] effutiat et insana? Hoc magis est, ut, cum fieri possit, ut veri aliquid aliquando dicamus, et hoc ipsum nobis incertum sit, an veri aliquid dixerimus.

Restant quattuor loci eius generis, quo magis pleonastice ad comparativum modum adponi dicere antehac solebant. Quos locos Hildebrandus ad I. 58 pag. 95 collegisse sibi videtur, qui tamen vereor ne aliena admiscuerit plurima. Primus autem locus est II. 55, ubi tria copulantur synonyma. Qui locus adeo est depravatus, ut omnes adhuc vexaverit viros doctos, is autem, qui se coniecturis suis sanum praestitisse gloriatur, praeter unum locum, quem egregie restituit, nihil egisse sani sit dicendus. Quamquam aleae plenum opus est, si certi vel verisimile quid, ut nunc quidem res est, de eo afferre velis. Quippe Hildebrandi in scrutando et exscribendo codice Parisino „plus quam negligentiam“ ut Lachmannus (ad Lucret. pag. 204) et Ungerus (Analect. Propert. pag. 74) iure notaverunt, ita Oehlerus, qua solet esse incuriosa infaustaque sedulitate, etiam in Arnobio suo, quemadmodum fecit in Tertulliano (de qua re conferenda est censura mea in Hilgenfeldi Annalibus theologicis III. pag. 363-393, IV. pag. 82-100), diversas lectiones, quales olim viri docti e codibus manuscriptis eruerunt, enotavisse fideique Hildebrandianae opposuisse satis habuit, non iterum, quo plana et munita tandem aliquando incedi posset via, inspectis libris, ut iam pro diluculo Hildebrandiano intempesta quaedam nox haud paucos locos Arnobianos obruerit. In quo numero is quoque locus est, quem dixi, ut quibus fundamentis solidis sententiam tuam superstruas, dubius sane haereas et indignabundus. Agitur autem de malis innumeris, quibus vitam humanam premi appareat, quae cur grassari divina omnipotentia patiatur interroganti Arnobius haec respondet: si intellectus nobis adfuerit dei regis ac principis nec per impias vagari suspicionum voluerimus insanias, respondeamus necesse est nescire nos ista, **nec** (ita codd. testibus Hildebrando et superioribus, et codd. testibus Crusio et Anchersonio Oehlerianis), quae nullis possent facultatibus comprachendi, expetisse aliquando aut studuisse cognoscere **melius**que ducetis **quinimmo potius magis** inscientiae finibus atque ignorantiae permanere, quam sine deo dicere nihil fieri per voluntatem ut simul in-

tellegatur et malis eum causas dare et miseriarum esse innumerabilium conditorem. Jam si de codicibus recte retulerunt Crusius et Anchersonius, praeter alia eaque gravissima ulcera patet deesse nonnulla, velut dedecere nos vel nefas putasse; sed ut recte viderit Hildebrandus, ipsa quae sequuntur verba omnia corrupta clamant. Quid enim? Arnobius ipsos Christianos securos de origine malorum humanorum esse profitetur, ut, quibus genitoribus orta sint vel quibus auctoribus fiant neque nosse contendant neque inquirere aut vestigare curent, suis omnia relinquant causis (verba ipsius sunt Arnobi II. 56; cf. II. 54), nationes autem contra ius fasque agere, qui in has res inquirere non desistant. Itaque Christianos necesse est dicat malle in harum rerum ignorantia permanere quam in contrarium labi nefas, quo verendum sit ne maiestatem divinam destruant. Quod cum omnes qui ante Oehlerum fuerunt interpretes recte perspexissent, ipse frugibus repertis ad glandes redire maluit, locum a se primo persanatum esse gloriatus. Videamus, nisi taedet, quo iure? Esse mala in rebus humanis consentit Arnobius. At, interrogant adversarii, quomodo fieri potest ut, qua dicitur esse omnipotentia deus vester, ea non auferat? Ad quae Arnobius: si recte, inquit, deum qui sit cognoverimus (quod quid sit capite extremo exponit), confitendum nobis erit, ista quidem humano ingeniolo cum maiestate divina videri pugnare, ut, cum quomodo res certantes componendae sint expedire humanum intellectum superet, in ea inquirere abstineamus. Quo responso tantum abest ut illi acquiescant, ut iterum rógitent: at, si sunt mala illa, unde sunt? scilicet alicunde oportet esse. Respondet Arnobius: hoc scimus, ea, quae vos quidem de hac re statuitis, insulsa plane esse, de qua re ipsi videritis; nos autem in has res inquirere veremur; quid ergo [ad] nos, unde? (ita enim, quemadmodum sequentia docent, emendandum est) i. e. non est quod ad hanc quaestionem respondeatur. Apparet, adversarios importune interrogitare aegreque ferre, quod de malorum in rebus humanis origine doceri non possint, Christianos in ignorantia sua securos et religiose adquiescere. Quid igitur hoc, quod Oehlero auctore Arnobius scripsisse iubetur, a sana illud non minus cogitandi quam scribendi ratione alienum? Namque ut Arnobius praesentes sibi finxerit eos, de quibus paullo ante dixerat consequetur ut rogitent eosque iam ipsos compellet vocibus meliusque ducetis, de qua re Hildebrandus vehementer dubitat, adversarii tamen ita non desistunt interpellare, ut mox eandem quam modo posuerant interrogationem repetant: mala ergo, dicetis, unde sunt haec omnia? Quod quomodo Arnobius eos interrogantes facere poterat, si persuasum ipsi erat, illos ut in inscientiae suae finibus permanerent re vera melius esse ducturos? Immo ipsum illud ergo, quo vocabulo repetita interrogatio proponitur, rem plane contrariam antecessisse docet, i. e. non melius ab illis putari, ut res inexplorata relinquatur. Accedit, quod per particulam que voci melius adnexam nisi simile aliquid et quod antecedenti sententiae congruat addi nequit. Atqui plane contraria sunt quae adduntur. Quae

cum ita sint, recto sane iudicio Hildebrandus particulam que integra et intacta codicis lectione explicari posse negat; sed quod cum plurimis editionibus meliusque ducentes substituit, id quomodo fieri potuerit, cum Oehlero vix capio. Quamquam ne vix quidem intelliguntur quae ipsi Oehlero placuerunt. Is enim non satis habuit corruptissimam codicum lectionem restituere, sed totum locum „hucusque graviter laborantem falsa interpunctione“ ita dispunxit, ut quicquid sani ante eius commenta supererat, dirissimo veneno enecaverit. Ita enim dispungit: meliusque ducetis quinimmo, potius etc. Nova sane res! Namque particula immo rem priorem amplificantis aut corrigentis, maiora vel graviora substituentis est, que autem similia addentis, ut quomodo coniungi possint nesciam. At, interpellet aliquis, in ipsis libris Arnobianis I. 59 haec leguntur: pompa ista sermonis et oratio missa per regulas concionibus, litibus, foro iudiciisque servetur deturque illis immo, qui voluptatum delenimenta quaerentes omne suum studium verborum in lumina contulerunt. Scilicet in ipso hoc loco novissimi editores, Hildebrandus et Oehlerus, Elmenhorstio aures praebere debebant neque erat quod male illum rem gessisse negligenterque eius vestigiis institisse Oberthurium alter vir doctus tanquam ex tripode ediceret. Recte enim ille et Stewechius, cuius et ipse coniecturam improbandam esse puto, que et immo coniunctas ferri non posse intellexerant, quam causam tantum abfuit ut Hildebrandus perspiceret, ut quin particulae positione decepti essent nihil dubitaret. Quam particulam etiam post aliquot verba collocari uno loco Arnobiano III. 19 comprobari opinatur; addere poterat III. 12; quamquam utroque loco non post aliquot, sed post primum vocabulum legitur, de qua re conferendus est Boetticherus Lex. Tacit. pag. 121; tertio autem loco in Arnobio quidem non legitur, legitur autem quinquies et tricies. Quae cum ita sint, alterum etiam praeter illud vulnus Oehlerus loco de quo disputatur Arnobiano, immo sermoni Latino inflixit. Scio quidem esse qui in huius quidem aetatis scriptoribus nihil non ferendum existiment stiloque Arnobiano perversissimum quodque imputare non reformident. Sed hic ipse locus quam faciant male docebit. Solet enim Arnobius coniunctas illas particulas quinimmo, qui bonorum scriptorum (apud Ciceronem quidem non inveniuntur) mos est, quemadmodum ipsorum vocabulorum vis atque natura flagitat, iis fere verbis anteponere, quibus superiora amplificantur corrigunturve, ut ea quibus major est vis atque dignitas vocabula aut ab illis incipiant aut, ubi substantivum cum adiectivo quod dicunt attributivo in altera sententiae parte inest, particulae illae mediae, i. e. altero loco inter adiectivum et substantivum interponantur. Cuius generis sunt haec: I. 64: securioris quinimmo exspectationis impleret et III. 44: Trebiani quinimmo dii sunt. In reliquis locis triginta novem primo loco leguntur. Quae cum ita sint, Oehlerum male fecisse apparet, qui particulam quinimmo non modo tertio loco positam, sed etiam, in qua re Hildebrandum socium habet, cum vocula que coniunctam sustinuerit. Jam vero ipsum illud quod subsequitur potius apud Ar-

nobium quidem tantum secundo vel tertio vel quarto, immo quinto, nusquam primo loco positum invenitur, ut quinimmo cum potius (quemadmodum IV. 18. legitur) coniungendum eamque quae ante Oehlerum fuerat interpunctionem restituendam esse pateat. Quamquam ne sic quidem sententia sana est. Quid enim? antecedat necesse est sententia minus gravis, quae voce quinimmo et quae sequuntur amplificetur corrigaturve, quam sententiam frustra quaesiveris. Atqui in verbis meliusque ducetis mendum latere supra demonstravi, facili opera tollendum. Scripserat enim librarius meliusque duce' his i. e. meliusque ducere his (videlicet inscientiae atque ignorantiae finibus permanere), quibus post notam illam quae fuerat superscripta neglectam male contractis librorum, quibus temporum iniuria pepercit, lectio originem debet. Verba autem subsequentia et ipsa labem contraxisse primus perspexit Ursinus, qui magis illud minime ferendum ratus omissa particula locum persanasse sibi visus est. De sententia quidem recte. Quamquam superiora verba si intellectus nobis adfuerit dei regis ac principis nec per impias **vagari** suspicionum voluerimus insanias non plane eliminandum illud vocabulum, sed adiectivum aliquod substituendum esse docent, quod quale fuerit subtili sane iudicio Oehlerus indagavit. Scribendum enim: meliusque ducere, his, quinimmo potius **vagis** in inscientiae finibus atque ignorantiae permanere, quam sine deo dicere nihil fieri. Itaque Christiani melius ducunt se his, i. e. quibus post Christum natum (qui de loco quidem de quo disputatur controverso nihil aperuerit aut revelaverit) circumscripti sint finibus teneri, ut certi sint humanae cognitionis fines, immo vel vagis illis inscientiae finibus circumscribi, quibus ante eum gens humana fuerat, ut homines per suspiciones, iam post Christum natum impias et insanas, cogerentur vagari, quam sine deo dicere nihil fieri, ut mala etiam cuncta voluntate eius intelligantur enasci (quae extrema verba ipsius Arnobi sunt II. 54). Quae subsequuntur verba vix dici potest quantas viris doctis turbas moverint, usquedum Orellius et Oehlerus viam qua verum inveniretur monstraverunt; quorum ille per voluntatem glossema ad explicanda verba sine deo adscriptum, hic cum sequentibus ea esse coniungenda censet. Etenim universam sententiam per voluntatem ut simul intellegatur et malis eum causas dare et miseriarum esse innumerabilium conditorem pro glossa esse habendam tum orationis structura tum singula vocabula evincunt. Atque primum quidem haec ipsa sententia in capite antecedenti diligenter explanata satisque expositum est, quid illud sibi velit sine deo aliquid fieri; tum verba per **voluntatem** ut **simul** intellegatur fieri non potuit ut explicandi causa ab Arnobio adderentur, nisi si ea ipsa vox quae explicaretur, voluntatem dico, antecessisset; deinde dictio **per** voluntatem **intellegitur** interpretis stilum sapiens (cf. Scholiast. Vergil. Muelleri ad Eclog. II. 1.: **per** Corydonem hic Virgilius, **per** Alexim Alexander puer intellegitur) ab usu Arnobiano alienissima est. Quae cum ita sint, eiecta glossa e capitis 54. verbis quae supra exscripsi petita, universum locum ita emendatum

2

exhibeo: si intellectus nobis adfuerit dei regis ac principis nec per impias vagari suspicionum voluerimus insanias, respondeamus necesse est, nescire nos ista nec quae nullis possent facultatibus comprachendi expetisse aliquando aut studuisse cognoscere, meliusque ducere, his, quinimmo potius vagis in inscientiae finibus atque ignorantiae permanere, quam sine deo dicere nihil fieri.

Sequitur locus I. 58: Sed ab indoctis hominibus et rudibus scripta sunt (quae de Christo narrantur) et idcirco non sunt facili auditione credenda. Vide, ne **magis** haec fortior causa sit, cur illa sint nullis coinquinata mendaciis, mente simplici prodita et ignara lenociniis ampliare. Integra sine dubio codicis est scriptura, ut hic locus praeter ceteros Hildebrando iis adnumerandus sit visus, quibus particula comparativo adposita redundet. Falso id quidem. Namque tantum abest ut magis cum comparativo fortior sit coniungendum, ut universae sententiae additum sit. Ita enim licet simplicem orationem adsumta elocutione circumscribas: vide ne magis sit ut haec sit fortior causa, de quo dicendi genere disputavi supra pag. 4. Eiusdem generis est locus Vergilianus Ecl. I. 11: non equidem invideo, miror **magis** i. e. magis est ut mirer, et Stat. Achill. I. 140: sed longum (cod. Amplonian. si longum est) cuncta enumerare vetorque, trade magis, i. e. magis erit ut tradas. De qua dicendi ratione vereor ne ea qua adsolet diligentia Handius exposuisse videatur. Neque multum interest, utrum magis an potius his quidem et similibus locis legatur, ut Servius Vergilianum locum interpretetur: dicit se admirari **potius** quam invidere. Adiuvat eam quam posui explicationem usus particularum magis quam, quibus alterum non fuisse, alterum fuisse declaratur sive alterum prae altero nihili aut habendam aut habitum esse dicitur, de qua re legendus est Dietschius ad Sallust. Iug. 35. 7. Etenim illud ipsum de quo disputamus magis ab hac ratione ita differt, ut altera quae in comparationem vocatur res non commemoretur, sed ex antecedentibus intelligatur.

Admodum similia sunt quae IV. 30 leguntur: Sed non istam suscepimus in eo sermone quem facimus vel operulam vel voluntatem ut ostendamus et publicemus, quinam fuerint hi omnes (quos deos esse fingitis.) Illud nobis propositum est ut, quoniam nos impios et irreligiosos vocatis, vos contra ... et deorum contenditis esse cultores, demonstrare atque in medio ponere, ab hominibus **magis** nullis ignominiosius eos tractari quam a vobis. Turbatum apparet et graviter adflictum locum. Nam ut anacoluthon condonandum sit scriptori, unum vel plura vocabula excidisse patet. Quamquam sententia plana est. Hoc dicit Arnobius: se nolle disputare de deorum originibus et causis, sed, cum Christiani irreligiosi a gentilibus dicantur, qui sibi ipsi videantur castissimi deorum cultores, id a se demonstratum iri, tantum abesse ut illi piis deos animis colant, ut a

nullis hominibus ignominiosius dii tractentur quam ab illis. Quod consilium iam ipso librorum suorum initio I. 2. professus fuerat. Quippe hoc etiam loco m a g i s ad universam sententiam pertinet, ut inferior sententiae pars comparetur cum superiori. Circumscripta enim sententia haec est: magis est ut nemo vobis ignominiosius deos tractet quam ut ingenui deorum cultores possitis praedicari. Vel, si videtur, synonymum vocabulum p o t i u s substitue: rem habebis expeditam, ut quo iure Orellius comparativos particula m a g i s „more Arnobii“ adposita amplificari dicere potuerit, Hildebrandus ab eius partibus stare sustinuerit, ipsi viderint.

Quamquam reliquus est locus I. 29: e r g o n e i m p i a e r e l i g i o n i s s u m u s a p u d v o s r e i, e t q u o d c a p u t r e r u m e t c o l u m e n v e n e r a b i l i b u s a d i m u s o b s e q u i i s, u t c o n v i c i o u t a m u r v e s t r o, i n f a u s t i e t a t h e i n u n c u p a m u r? E t q u i s **magis rectius** h o r u m f e r e t i n v i d i a m n o m i n u m, q u a m q u i a l i u m p r a e h o c d e u m a u t n o v i t a u t s c i s c i t a t u r a u t c r e d i t: De quo loco viris doctis eo minus dubitandum est visum, quod m a g i s comparativo proxime praecedit, quemadmodum fit apud Apuleium (Metam. XI. 10. Hild.)? (sinistra manus) v i d e b a t u r a e q u i t a t i m a g i s a p t i o r q u a m d e x t e r a, qui locus huic Arnobiano etiam propterea similis est, quod, modo recte supra disputaverim, apud utrumque scriptorem praeter hos unos nullus invenitur locus, ubi de particula illa sitne comparativo coniungenda possis ambigere. Quamquam de Apuleio res intacta erit relinquenda, donec liber ille vetustissimus Florentinus (cf. H. Keili Observatt. criticae in Catonis et Varronis libros de re rustica pag. 77 sqq.) de quo et Elmenhorstius et Lindenbrogius male ominata negligentia rettulerunt (cf. Hildebrandi Prolegomena ad Apulei. I. pag. LXIX—LXXI) qua par est diligentia excussus fuerit. In locum autem Arnobianum glossam eius generis illatam putare possis, quibus in continuam scriptoris orationem admissis factum est ut Arnobius synonymis vocabulis *ἀσυνδέτως* iuxta positis ab omni omnium scriptorum ratione recedere diu visus sit multisque adhuc viris doctis videatur, de qua re diligenter et prudenti usus iudicio Hildebrandus disputavit (Praef. ad Arnob. pag. VI—IX), sollicitandus ille, ut tandem aliquando promissis stare et de singulis harum corruptelarum generibus quid censendum videatur exponere velit. At audio qui interpellent, volgatum et tritum vocabulum, sive m a g i s fuit sive r e c t i u s, interpretatione nulla egere, ut vix fieri potuerit ut vel ipsorum glossatorum male sedula industria glossam adleverit. Qui vero II. 58. et IV. 9 verbo i g n o r a r e adscripsit n e s c i r e, qui II. 75 p e r p e t u i s s a e c u l i s addidit i n f i n i t i s, qui ad voces I. 11. e x p l i c a r e, p e r f e r r e, I. 63 m a l i s, II. 29 i n t r e p i d u s, II. 78 a m b i g i m u s, III. 41 e f f u n c t o r u m, IV. 12 a c c i d e r e, V. 39 g e s t u m, VII. 29 a p e r i t e temperare sibi non potuit quin has glossas adpingeret: d i s s o l v e r e, s u s t i n e r e, m o r b i s, s e c u r u s, d u b i t a m u s, m o r t u o r u m, f i e r i, f a c t u m, m o n s t r a t e, eum quis tanta modestia fuisse putaverit ut alterutrum vocabulum vili notula sua adspergere vereretur? Sed hoc etiam loco m a g i s non cum comparativo r e c t i u s, sed cum universa sen-

tentia esse coniungendum, modo diligentius in scriptoris verba inquisiveris, apparebit. Ergone, ridens scriptor interrogat, infausti atque athei convicio vestro appellamur, qui unum deum colentes innumeros quibus vos supplicatis deos despiciamus? At potius (vel magis i. e. quam ut haec crimina redarguamus) quaesiverim: quis rectius illorum nominum invidiam feret quam vos, qui alium prae hoc deum creditis? cf. Hand. Tursell. III. 557. 6. Atheos enim neque Christianos neque gentiles iure dici licet, qui utrique esse divinum numen statuant; quod si alterutra pars hoc nomine notanda sit, rectius adversarios esse notandos adfirmat, qui vero deo fictitia numina substituere non erubescant. Solet autem Arnobius in respondendo, cum adversariorum argumenta reiciat, continuatis quodammodo sententiis copulativam particulam e t adhibere, ubi alii scriptores a t adversativo fere utuntur, ut recte Hildebrandus II. 72. III. 21 codicum lectiones restituerit, male Oehlerus VII. 20 a t substituerit quem quae VII. 51 leguntur meliora docebunt. Ex exemplis quae sunt plurima satis habeo ea enotasse, quae huic loco sunt simillima: II. 43. IV. 21. V. 10. 42. VI. 3. 9. VII. 3. 4. 5. 16. 21. 28. Fuerunt quibus nonnullis locis Arnobium formis e c q u i s, e c q u i d, e c q u i ditare placuerit. Velut has formas, ab hoc quidem scriptore alienas, male fecit Oehlerus quod I. 35. IV. 18 Arnobio obtrudere voluit; quamquam II. 30 recte genuinam lectionem revocavit.

Ne tamen quid videar reticuisse, legitur VII. 18: a n numquid alterius alteri (deo) minus gratior et iucundior sanguis est, alteri vero alterius voluptatem infundit et gaudium? Quo loco omnes, quod sciam, interpretes m i n u s cum comparativo coniungendum clamant, ad quam sententiam probandam cum illud m a g i s comparativis adpositum in auxilium vocant, tum praeter eum quem Handius (in Tursell. III. 620) adfert locum Celsianum VI. 6. 29 ad Florum IV. 2. 47 provocant. At hoc quidem loco: s e d n e c m i n u s a d m i r a b i l i o r i l l i u s e x i t u s b e l l i ipsa verborum collocatio e x i t u m belli comparari docet cum bello ipso; bellum autem admirabilius fuisse exposuerat scriptor quam vulgo bella solerent esse; addit s e d n e c m i n u s i. e. item a d m i r a b i l i o r quam fieri solet i l l i u s b e l l i fuit e x i t u s. De loco autem Celsiano iam non dubitatur. Cum enim in antiquissimis editionibus recte legatur: q u a n t o q u e m i n o r g e n e r i s h u i u s i m p e t u s, t a n t o f i n i s m i n u s **expeditus** e s t, tum idem novissimus editor Darembergius ex optimis libris restituit. Iam ad locum Arnobianum redeo. Qui ut nunc quidem in libris et scriptis et editis legitur, ab ipsa sententia laborat. Solet enim Arnobius pronomine a l t e r pro alio eoque diverso uti (I. 34, VII. 9. 13 43 al. Eckstein ad Vossi Aristarch. pag. 918), ut hoc loco alii deo aliam hostiam probari dicat. Duae autem sunt sententiae partes: in altera alii aliud m i n u s probari dixit, ut in altera alii aliud m a g i s probari addendum esset. Atqui ipsum illud quod salva sententia deesse non potest desideratur, videlicet alii aliud m a i o r e m voluptatem infundere, ut, qualis nunc quidem res est, corruptum locum esse pateat. Iam vero vitium in priore sententiae

parte latere inde perspicuum est, quod ipsum illud de quo disputatur minus cum comparativo praeter hunc locum in literis latinis non legitur. Atque praesto est facillima nisi fallor medela. Ita enim res se habet: in codice archetypo, in quo scribendo notas fuisse adhibitas ex iis quae infra adferentur exemplis apparebit, librarius hoc compendio usus fuisse videtur: alteri mun'is gratior, qua nota neglecta (id quod saepe factum esse postea exemplis probabo) is qui Parisinum codicem exaravit prono errore (nam inter munis et minus in libris manuscriptis non multum interest) bona fide pro illo hoc substituit, ut iam universus locus ita restituendus sit: an numquid alterius alteri muneris gratior et iucundior sanguis est, alteri vero alterius voluptatem infundit et gaudium? Munus hostia est deo oblata.

Tandem aliquando post multos variosque errores quos vereor ut effugere possint quicunque huic scriptori, quo nullus in latinis quidem literis est corruptior, emendando operam dare volent, unde exii eo redeo. Iam enim iis quae supra disputavi satis probari puto, illud de quo agitur magis saepe ita ab Arnobio usurpari, ut res in comparationem vocanda e praecedenti sententia cogitatione supplenda sit, unde factum est, ut vel ipsi scriptores latini, quid inter utramque particulam intersit minus curantes, magis et potius nonnunquam perinde haberi adfirment, posteriores autem scriptores altero alterius loco uti re vera soleant. Velut Servius (ad Vergil. Aen. VI. 609): Urbano tamen hoc displicet et dicit rarum esse hoc **magis**que contrarium. Non ita Arnobius, qui non plane reiecta altera sententia alteram modo magis valere dicit, ut a bonorum scriptorum usu hac quidem in re discessisse non sit dicendus. Qualis is est locus, quem primum huius disputationis esse volui, I. 2. In quo loco impietatis crimen a Christianis removeri Hildebrandus recte perspexit, quamquam quae subsequuntur verba Arnobiana: illi ipsi reperiantur criminis istius rei non ipsum impietatis crimen dicunt, sed id crimen, quod nonnulli qui se plurimum sapere crederent (I. 1.) in Christianos coniecerant, videlicet ex quo Christianum nomen in terris esse coepisset, tot tantaque generi humano imposita esse mala mundumque aberrasse a legibus suis. Etenim cum in iis quae subsequuntur hoc crimen solum respicit, tum ne gentiles quidem atheos dicit (de qua re conferenda sunt quae ad locum I. 29 pag. 12. disputavi) et mala ista unde sint se nescire ingenue fatetur (II. 55). Quamquam III. 11 et V. 31 ipsos gentiles miseriarum omnium causam esse adfirmat, quod cave ne falso interpreteris: qui enim nullos esse deos sibi persuasisset, eumne re vera deorum gentilium ira illa fieri putasse, quos ipse aut a suis cultoribus aut a Christianis offensionum furialium causas accipere alio loco praefracte (V. 15.) negaret? Immo quam absurda sint gentilium de diis placita expositurus iam ponit esse deos quales a cultoribus suis esse dicantur, qui si sint, fieri non posse quin iniuriarum sibi ab illis illatarum ira exardescentes mala illa humanis rebus immittant. Atque universa disputatio quo spectet breviter complectens, statim ab initio libri sui quid cogitet eloquitur: tantum

abest, inquit, ut impii nos simus, ut, si sint dii quorum vos profitemini esse cultores, vos ipsi eorum iram innumeraque illa mala concitasse sitis dicendi quibus res humanae premuntur. Utrumque Arnobius pro sua fide negat; si autem alterum, i. e. mala a diis immitti hominibus, ex adversariorum persuasione fieri possit, magis hoc esse quam illud demonstraturus est. Restat ut de inusitata verborum collocatione magis sed illi ipsi reperiantur pauca addantur. In qua re Arnobius multum sane a bonorum scriptorum usu recedit ut, qui fere posteriorum temporum mos est, ad poetas proxime accedere videatur. Omissis igitur locis, quibus aliae particulae apud Arnobium contra optimorum scriptorum usum postponuntur, ipsius particulae sed postpositae exempla adferam. Ex quibus Hildebrando haec accepta refero: I. 53: maledicta ... nihil ei nocitura qui fecit, periculum adlatura sed vobis; V. 34: quae ... ipsis ab historicis sensa sunt, nec per voces proprias, significationibus sed aliis explicata; VI. 12: cum pileo Vulcanus et malleo, manu liber sed dextera, quibus addendus est locus VI. 21: Dionysius ille sed iunior, quem recte Hildebrandus, male Oehlerus interpunxerunt.

Iam exemplis nonnullis restat ut comprobetur, librarius codicis Par. (nam Bruxellensem qui inde exscriptus est non moror) notas quae in codice archetypo fuerunt quam non intellexerit, unde innumeras corruptelas ortas esse contendi.

Legitur in cod. Par. I. 2: ipsi homines denique, quos per **inhabitabiles** oras terrae sparsit prima incipiensque nativitas, non matrimonia copulant nuptiarum solemnibus iustis? Ubi cum viri docti homines in inhabitabilibus terrae partibus habitantes matrimoniaque iungentes ferri non posse facile intellexissent, vix dici potest quam misere se torserint, ut ipsum illud quod inhabitabile est habitabile esse demonstrarent. Etenim Heraldus „inhabitabiles", ait, „pro simplici habitabiles, ut inhabitare pro habitare", cui, si ita appellare licet, explicationi Oehlerus subscripsit, Orellius (in Appendice pag. 4.) ex ipso Arnobio (VII. 47 Or. VII. 50. Hild. et Oehl.) alterum cumque corruptissimum locum, scilicet quo res absurdissima probaretur, adscripsit, satis ille ab Hildebrando notatus (pag. 8, quo tamen loco quae de codice leguntur, corrigas secundum ea quae pag. 504 adferuntur). Verum enim vero inhabitandi verbum nisi uno loco apud Arnobium non invenitur, qui locus est VI. 17: eos veneramur, quos dedicatio infert sacra et fabrilibus efficit inhabitare simulacris, ubi tertium cum hoc verbo coniungi casum patet. Quid? quod II. 20 ipsa vox habitabilis invenitur, ut quae causa scriptorem movere potuerit, ut altero loco ambiguo illo vocabulo, quod in literis latinis illa

quidem notione nusquam legitur, uti maluerit verear ut quisquam mecum excogitet. Quae cum ita sint, male fecerunt lexicographi quod, perversum interpretum Arnobianorum iudicium secuti, vocabulum inhabitabilis de loco qui habitari possit interpretati sunt. Quamquam audiendus videtur Hildebrandus, qui huic vocabulo propter additam voculam in significationem quandam intensivam in adnotationibus cum ad eum de quo disputatur locum, tum ad II. 59 pag. 214, tum ad Apulei Metam. I. 16. pag. 52 adscriptis nescio quomodo vindicare sustinuit, seductus ille, ut videtur, falsa veterum quorundam grammaticorum auctoritate, de qua conferendus est Gossravius ad Vergil. Aen. VI. 810. De Elmenhorsti enim Indice Apuleiano (s. v. immerito), ad quem provocare Hildebrandus non erubuit, praestat silere, ubi ne locos quidem quibus miracula sua substruxit ille doctus homo addere voluit, qui tamen qua sint vi et auctoritate inde, puto, apparebit quod vocabulo infibula vocem fibula intendi ait, cum apud Tertullianum, cuius vocabulum esse insimulatur, legatur (de Pallio 1): in fibulae morsu humeris acquiescebat, quodque quam praeterea adfert vox inacus nulla omnino est, ut, cum apud eundem Tertullianum hocce monstrum inveniri adfirmet, haud sciam an illud inaccusatus, quod legitur Apolog. 57, ad Nat. I. 2, ridiculum sane Elmenhorsti errorem effecerit. Reliqua autem exempla securus omitto, nulli modice docto homini errorem incussura. Quid? quod singulari quodam casu accidit, ut ipsum illud immerito, quod tot tantosque errores genuisse videtur, Hildebrandus in altera Apulei editione contrario suo merito loco cedere iusserit. Sed ad Arnobium redeamus. Oras quas dicit non zonas esse inde apparet, quod consentiens antiquorum hominum iudicium duas esse ponit zonas habitabiles, quarum altera sit ea quam nos incolimus, altera australis, ignota nobis (Cicer. Tusc. I. 28. 68). Atqui in altera eaque ignota matrimonia copulari quomodo Arnobius dixerit? Quodsi de zonis ageretur, oportebat eum de una, non de duabus oris verba facere; quippe unam noverat. Cum Posidonio autem, qui solus quattuor zonas habitabiles statuisse perhibetur (cf. Forbigeri Geograph. antiq. I. pag. 544) hunc scriptorem facere quis sibi persuaserit? Unde oras de partibus τῆς οἰκουμένης dictas esse perspicuum est, quae apud antiquos homines fere sunt tres, Europa Asia Africa (cf. Creuzer ad Hecataeum Miles. pag 38 sqq.) Quae cum ita sint, sic locum corruptum emendo: ipsi homines denique, quos per **tres habitabiles** oras terrae sparsit prima incipiensque nativitas etc. Scriptum enim erat in codice archetypo: quos per **III** (i. e. tres) habitabiles oras terrae, quo numero male lecto pejusque eo quod subesse videbatur cum insequenti vocabulo coniuncto codicis Parisini error natus est. Idem error conspicuus est in Servio Burmanniano (ad Vergil. Eclog. II. 1), apud quem cum male legatur nam Virgilius dicitur in pueros habuisse alium amorem, recte scholiastes Bernensis Muelleri exhibet: nam Virgilius dicitur **tres** pueros habuisse in tali amore (cf. Programma gymn. Rudolph. anni 1847 pag. 9).

Simillimum est mendum VII. 39: ludis **deinde interminatis** profligatisque curriculis non multi post temporis spatium civitatem occoepisse pestilentia vastari. Ubi quae Hildebrandus adfert ad probandum, interminatis idem esse quod terminatis, nauci sunt neque illud vocabulum praeter hunc locum nisi plane contraria notione usquam invenitur. Reliqui editores praeter Oehlerum, cui cum Hildebrando codicum lectio probatur, ludis deinde iam terminatis emendasse sibi visi sunt, male; quippe ipsum illud quod substituerunt iam propter ludos profligatos (de quo verbo consulendi sunt Gellius XV. 5, Heerwageu ad Liv. XXI. 40. 11, Osenbrueggen ad Cic. pro Rosc. Amer. 13. 38) locum non habet. Erroris origo dittographia est, quam in codice archetypo cum librarius cod. Par. invenisset hanc: dein dein terminatis, male iunctis verbis locum corrupit. Sublato enim altero dein genuina lectio prodibit: **ludis dein terminatis.**

Neque minus aperta res est I. 3, ubi Arnobius illud crimen defendit, quo gentiles quaecunque mala genus humanum oppressissent, ea a diis odio Christianorum flagrantibus terrae immissa esse adfirmabant. Namque ante quam Christiani in terris esse coepissent, antiquos homines nomina illarum pestium novisse, id quod quomodo fieri potuisse, nisi ipsae res his appellationibus signatae ante Christianae fidei tempora fuissent? Pestilentiam, pergit, grandines qua potuit (antiquitas) **natione** signare aut inter suas voces, quibus oratio explicabatur, adsumere? Quae verba haud dubie corrupta omnes editores ita emendaverunt, ut aut notione aut ratione substituerent. Illud quidem cur ferri non possit, bene Hildebrandus exposuit; quamquam inconsiderate alterum ratione tuetur, in qua re pedissequum habuit Oehlerum. Etenim cum signare nude positum pro nomine signare non dici recte perspexisset, quamvis a vero inveniendo proxime abesset, „optime tamen illud verbum intelligi" consolatur, a qua temeraria sane disputandi ratione abstinuisset, credo, si in usum Arnobianum diligentius maluisset inquirere. Apud quem III. 31 legitur: liquoris obtentio nominis huius appellatione signatur, III. 39: divos hac praedicant appellatione signari, V. 42: evirati corporis nuncupatione signatus, VII. 33: ex numinum appellatione signari. Ergo ut „optime" illud signare per se intelligatur, Arnobius quidem ipse ne hoc loco ita intelligatur vetat. Quid plura? In codice archetypo scriptum fuit natiōne, qua nota cum vocabulum nominatione designari is qui cod. Par. scripsit non intellexisset, ad nostra usque tempora falsum illud vocabulum natione fluxit. Quae cum ita sint, restitue: pestilentiam grandines qua potuit **nominatione** signare e. q. s.

Eiusdem generis est VII. 43: **inoboeda** cessatio ubi cum Meursius codicis archetypi compendium inobōeda a librario cod. Par. male intellectum inauditae et improbae voci inoboeda originem dedisse bene docuisset, Orellius tamen, Hildebrandus, Oehlerus lexicographique huius aetatis Salmasio (ad Solin. pag. 24) aures praebere maluerunt, ut iam in libris Arnobianis et in lexicis novissimis illud

nequam vocabulum legentium admirationem moveat et risum. Legendum cum Meursio: **in oboedientia** cessatio. (cf. A. Fleckeiseni Fünfzig Artikel pag. 22).

I. 13. legitur: Christianorum, inquiunt, causa mala omnia dii **erunt** et interitus comparatur ab superis frugibus. Ita quidem a prima manu cod. Par., a secunda emendatrice dii ferunt, quod plurimi editores receperunt; Oehlerus inferunt suo Marte. At in codice archetypo scriptum fuisse videtur eruūt, unde neglecta lineola superinducta codicis illud erunt fluxit, quae vox cum sensu careret, manus illa emendatrix ferunt superscripsit. Emenda: mala omnia dii **eruunt**. Ante Christianos enim nulla in terris fuisse mala gentiles insimulant, Christianorum demum causa illas pestes esse erutas. Quippe eruere est latentem aliquam rem in medium proferre, quae verba fere sunt Bentlei ad Horat. Serm. I. 4. 25. Sic etiam Apuleius Metam. VII. 13 pag. 470 Oud. 571 Hild.: totis ergo prolatis erutisque rebus; cf. Arnob. II. 75. V. 5, Burmann ad Petron. 33 pag. 178.

